



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi esse vocatam, quia
continet aliam perfectionis proprietatem, quòd ad omnem legem
custodiendam inclinēt. Cap. xxx.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

inuicem, sicut dilexi vos.] Nam qui proximi dilectione tenetur, mirum est, quam sit sapiens ad cauendum, quae fratribus noxia sunt, & praestandum quae uilia: Pulchrum est uidere, quam sit pronus ad miseracionem, quam sit tardus ad iram, quam sit sollicitus, fratris casus, & infirmitates cõregere, nisi ab oculis spiritualis medici, qui curationem, & medelã est allatorus. Sanè inquit familia religiosa, quam Dominus hac pretiosissima gemma ditauit (de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.) De excelso planè sanctus amor emittitur, quia nõ est res humana, sed supra naturã, supraque vires proximũ diligere non utilitatis, aut voluptatis obtentu. De excelso in ossibus mittitur, hoc est, in illis, qui à saeculo liberati, fortitudine & constantia obdurecunt, & instar ossium Ecclesiam fulciunt, atque sustentant. Et quod mittitur, non est nisi ignis, mala quidem ossium consumens, & oculos interiores illuminans, ut sapienter sciant fratribus bona, & uilia praestare.

Tandem, alia praecepta temporalia sunt, quae, aut post annos mutantur, aut post aetatem, aut legem antiquantur, aut certè cum ipso tempore intereunt. Praeceptum obseruandi Sabbatum, in obseruationem diei dominicæ mutatum est: Praecepta ceremonialia cum lege veteri abolita; Moralia multa cum tempore finem habitura. Neque enim in illa caelesti, quam inquirimus, ciuitate mandata fortitudinis, aut temperantiae uigebunt, ubi nullum est, quod subeamus periculum; nulla carnis illecebra, quam vincamus: Ibi non obligabit fides, quia dabitur clara uisio, neque spes, quando erit secura possessio. Praeceptum uerò amoris Dei, nõ est tẽporale, sed perpetuum. Ut enim sapienter dixit Cassianus: Omnia dona pro usu ac necessitate tribuntur ad tempus, consummata dispensatione, mox proculdubio transiunt; Charitas uerò nullo intercipitur tempore. Non solũ enim in presenti uiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abiecta efficacior multo, atque excellentior permanebit; nullo uimquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo atque intentius adhaerens.] In hac enim uita mortali Deum amare incipimus, in futura uerò, atque immortali amare proficemur, & numquam amare finiemus. Hic diligimus minus perfecte, ubi diligemus omnino perfecte. Nũc amor Dei est tamquam ignis extra propriam spheram, ubi extingui potest; tunc erit intra propriam spheram, ubi extingui, & minui non potest. Ignis enim Dei est in Sion, & caminus ignis in Hierusalem.] Amor quippe quem in mentibus nostris accendit, est à camino extractus in Sion, hoc est in Ecclesia, quae nunc militat, erit uerò tamquam in camino; in Ecclesia quae triumphat. Hanc etiam amor proximi continet perfectionem. Etenim perpetuus est, numquamque finem habiturus. Charitas (inquit Paulus) numquam excidit: siue prophetiae euacuantur, siue linguae cessabunt, siue scientia destruetur.] Vnde Augustinus; Perfectissimè in caelesti regno lex aeterna seruabitur, & illa duo praecepta de diligendo Deo, & proximo non in lectione, sed in ipsa perfecta, & sempiterna dilectione tenebimus.] In hac uita proximum amamus, & in futura perfectius & ardentius amabimus. Hic amor habet aliquid teporis, & imperfectionis; ibi & feruidus ualde & omnino perfectus existet. Amabimus ibi magis meliores, & sanctiores, summoque regi magis coniunctos: minores uerò non tabescent inuidia.

O felix charitatis regnum (inquit Richardus de sancto Victore) quod manet in aeternum; o felix regnum quod numquam dissipabitur, quod populo alteri in aeternum non dabitur! Si igitur fratrum sancta dile-

ctio tam magna, & perfecta est, ut Dei dilectioni, id est, omnium bonorum fontem annexam habeat; quis dubitet eam nos Deo ipsi copulare, atque adeo ipsam perfectionis naturam continere? Et quis non uideat, quam aptè Christi praeceptum appellata est, quae nos fratribus amore iungens, ad Dei amorem allicit, & perfecte seruata, in saltigium perfectionis extollit.

Perfectionem fraternae charitatis praeceptum Christi esse uocatam, quia continet aliam perfectionis proprietatem, quod ad omnem legem custodiendam inclinatur.

C A P. XXX.



Haec perfectionis pars, quae nos ad proximos, ac fratres ordinat, continet in se ipsa charitatem erga Deũ, quia facit nos diligere fratres propter Deum, non sentit arduũ, aut difficile, alia omnia praecepta continere, & ad eorum custodiam fidelium mentes inuitare. Et uerè id ita est: Nam sicut diuinus amor est abundantissimus fons, à quo emanat fraternae dilectio; ita haec est instar fluminis, ex quo tribuli deriuantur aliorum omnium praeceptorum. Nam qui perfecte diligit fratrem, nihil in absolutissima aliorum obseruatione mandatorum, aut difficile, aut molestum inueniet. Hoc autè significat illa Apostoli diuina sententia. Qui enim proximum diligit, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.] Hoc sanè praecepto omnia alia instaurantur, hoc est, perficiuntur, & cumulatifsimè implentur. Quoniam si adulter es, non diligis illum cuius uxorem seduxisti: si homicida, satis manifestè odisti eum, cuius uitam sustulisti: si fur, alienus es à fratre, cuius diuitias surripuisti: si falsus testis, abominaris eum, cui honorem detraxisti: si alienae rei cupidus appetitor, iniurius es in eos, quorum res appetuisti: Nam motus internus animi operi externo aequalis reputatur, dicente Domino. Amen dico uobis, quod omnis qui uiderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.] Si odium proximi, omnis iniuria in illum commissæ principium est: dilectio proximi erit omnis innocentiae, atque integritatis origo. Vbi autem integritas uitae ac morum est, ibi necessariò inuenitur perfecta legis obseruatio, & omnium mandatorum custodia: Quemadmodum uerò haec letalia crimina fraternam dilectionem omnino destruant: ita minora, & leuiora peccata illam eneruant, ac minuunt. Si quis enim plus a quo fratrem diligit (nam & est in amore nimietas) uel saltè externa familiaritatis signa exhibet immoderatis, non minus profectò amorem fraternum in religione lædit, quam si rixas, & contentiones suscitauerit. Quod quidem ego dicere non audeam, nisi Beatus Basilius prius, ita uerbis grauissimis docuisset. At qui in congressu uinum praelis charum habet, is seipsum reum facit, cum perfecta charitate non sit praeditus. Quapropter ab omni societate & congressu procul arceatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quaedam indecens; nam ut haec manifestas perducit inimicitias, sic illa inuidiã, & similitates generat.] Quod si amoris nonnulla immoderatio dilectionem offendit, quid non hædet

Thom. 5.

Cassia. col. 1. ca. 21.

Isaia 31.

1. Cor. 13.

Aug. 1. retrat. c. 16.

Richard. lib. de s. mo. Nambuc. c. 24.

Rom. 13.

Matt. 5.

Basil. ora. 1. de amore Dei & proximi.

animi auctio? Quid vultus instans? Quid sermo asper, & durus? quid aperta contumelia? quid manifesta detractio? An cum his dilectio fraterna integra & iniuncta persistat? Nullo modo. Est namque suavissima hæc virtus, aut perfectionis pars, non minus delicata quam pretiosa, quæ vel minima transgressione cuiusque præcepti obscuratur, ac tenebris offunditur. Quare iure optimo eius possessio est totius legis observatio, & perfecta impletio omnium præceptorum.

Gregor.
hb. 2.7. in
Evang.

Quamobrem merito audet Gregorius, & dicit: Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vana præceptum sunt, quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur.] Ut enim multi arboris rami ex vna radice procedunt; sic multæ virtutes, ex vna charitate generantur, neque habet aliquid viriditatis ramus boni operis si non manet in radice dilectionis.] Quibus verbis non docet Pater sanctissimus (ut nonnulli minus considerate putarunt) dilectionis præceptum generale esse, & nihil aliud quam omnium mandatorum observationem continere; sed docet præceptum hoc speciale ab omnibus distinctum, omnibusque prælatum, ad omnium aliorum custodiam, & observationem inuitare. Considerate ergo mihi arborem quamdam pulcherrimam, in vna radice, vno eodemque tronco innumeros diuersarum arborum ramos habentem, ita scilicet, ut vnus amygdalis, alius oleis, alius ficibus, alius dulcissimis botris, & sic alij omnibus fructibus inter se natura distantibus onerentur. Nonne & ista arbor vniuersarum arborum erit pretiosissima? Nonne vna simul erit, & plures? Vna quidem cum vna natura constet, vnumque sit corpus continens, & indurptum; plures verò, quoniam omnium arborum partus edit; omnium fructus emittit; & qui eam possidet vitis, & ficus, & olea, omniumque aliarum arborum felix erit possessor. Talis re vera est fraterna charitas, cuius radix amor Dei est, non terræ, sed diuino pectore affixa: à quo vitalem succum trahit, & arborem nutrit, atque sustentat. Truncus est amor proximorum, affectio scilicet amoris interior, specialiter hoc præcepto mandata, quæ ab hac radice speciosè satis erigitur: Rami autem sancta desideria inferuendi fratribus, & eos iuuandi benigna consilia: fructus verò sunt vniuersarum virtutum actiones.

x. Cor. 13.

Hoc est quod perspicuis verbis docet Paulus, cum ita scribit. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.] Quod perinde est ac si diceret; Charitas est arbor speciosa, atque proceræ, quæ fructus patientiæ fert, & benignitatis, & omnium aliarum virtutum partus emittit.

Num charitas pericula, labores, & iniurias patienter, & quammiterque sustentat? Vtique quoniam patiens est. Videamus Moysen dilectionis perfectissimum sectatorem, quam patientiæ sit studiosus, & quanta mala, & pericula pro charitate sustineat. Nunc populus ille duræ cervicis obmurmurat, nunc ei minas intentat, modò lapidibus terret, modò eius imperium subire detrectat. Pro his omnibus vir mitissimus non pœnas exaggerat, sed beneficia, & miserationem impertit. Cum enim semel posset impudè, securè & graui Domini manu suis obmurmurationibus iniuriâ referre, à vindicta abstinet, & sequester populi in se lauietis effectus, pedibus Domini prouoluit, & iram eum enixe precatur: Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.] Num charitas bona sua latissimo erogat animo, & munera liberali-

Exod. 32.

ret distribuit? Vtique, quia benigna est. Ostendat hoc ille sanctissimus Patriarcha, ad principatus Egypti fastigium sublimatus, qui fratres, hoc est, venditores, hostes, & homicidas suos, lautissime inuitat, & à mendacitate erutos, dignitate, & fortunis amplificat. Tollite patrem vestrum (inquit ex ore Pharaonis) & properate quâto cernis venientes, nec dimittatis quicquam de supellectili vestra; quia omnes opes Egypti vestrae erunt.] Num charitas, fratrum prosperitate gaudet, & rebus secundis exultat? Vtique, quoniam non æmulatur. Ita Paulus felicitatem sui populi capiebat, ut cum obstinatione magna dicat: Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.] Quantû abest ab alienæ felicitatis inuidia, qui anathema à Christo vult esse, ut alij felicitatem consequantur! Vult autem pro fratribus abalienari à Christo, deuotione vti (inquit Origenes) non præuacuatione, hoc est, vult ad aliquid tempus eius dulcissima presentia carere. Nam à Christi gratia excidere, aut animi puritatem fratrum causâ minnere, hoc non vult Paulus, quia id haudquaquam charitas vera requirit. Non enim est charitas, sed fatuas aliorum salutem cum tua perditione lucrari, & ut aliis profis, te ipsam in teporem, in tenebras, atque in imperfectiones præijcere. Numquid charitas ligat suorum manus amatorum, ne proximis malum aliquid inferant? Omnino, quoniam non agit perperam. Est namque amor ad mala inferenda ignauus, & iners, ad facienda bona fortis, & animosus. Meliora enim (inquit Salomon) sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Meliora, hoc est, mitiora, & suaviora, non solum quia charitas vulnerat ut medeatur agrotis, sed quia sua dulcedine impedita, leniter, & suaviter ferit. An charitas, propriam excellentiam cõtemnit, libenter subijcitur, & se viliorem, & minorè existimat? Ita sanè, quoniam non inflatur. Apostoli, dum charitate, aut vacui, aut imperfecti erant, proprio verò amore pleni & distenti, ad primas sedes, & aliorum principatum aspirant. Hinc facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.] Hinc aliqui eorum matrem ingerunt postulantes: Dic ut sedeat hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.] Sed Domino suscitato, amoris incremento, non tantum sanctiores, sed modestiores effecti, neque primatum appetunt, neque Martiæ peccatrici primò apparuisse Christum, & postea sibi ipsis, conuerunt. Quid hoc? Nisi quòd dilectio nescit inflari, nescit distendi, nouit autem facile amato submitti: An ne charitas irridet primos accubitus in cenis, & primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi?] Ita certè, nam non est ambitiosa. Vt enim nulla est commoditatis, aut honoris ergò, inter corporis mēbra discordia; sed gaudet caput, quod pedes calceis fulciantur, & si ipsum nudum, & sine pileo relinquatur; & gaudent pedes, quod pileatum sit caput, licet ipsis calcementa non suppetant, eodè modo inter eos, qui verè se diligunt, nulla est gratia muneris, vel dignitatis seditio. Exultat verè in dilectione perfectus, si frater aliis præficiatur, quamuis ipse subiectus relinquatur; si ille laudetur, quamuis ipse contēnatur; si illi omnes applaudant, tanquam copiosè & eloquenter dicenti, licet ipsum vniuersi tanquã infantem, & imperitum irideant: quoniam dilectio veritatem amat; iactantiam autè, & inanem gloriâ detestatur. Charitas ad Christi imitationem, non sibi placet, neque propria scrutatur commoda; quia non querit, quæ sua sunt. Non vlciscitur, non punit irata, non iniuriæ memoriâ seruat in pectore; quoniam non irritatur. Non temetè iudicat, neque mala euenientia fratribus

Gen. 45.

Rom. 9.

Orig. li. 7.
in epist. ad
Rom.

Prov. 27.

Luc. 22.

Matth. 10.

imputat;

imputat; quoniam non cogitat malum. Non est flagitiosorum socia, neque vitiorum, aut perniciosae libertatis faulrix: quia non gaudet super iniquitate. Est autem bonorum magistra, & omnium bonorum fidelissima adiutrix; quia congauget veritati. Laboribus, ac persecutionibus non frangitur, quia omnia suffert; omnia credit, quae sunt credenda: Omnia sperat, quae sunt speranda, & longanimitatis plena, omnia sibi promissa sustinet.

Vides ergo charitatē fraternam omnes virtutes producentem, & (ex sententia Pauli) ad vniuersa sanctitatis opera instigantē. Sed alio loco idem Paulus, non minus perspicue id ipsum confirmat, dum eam fructuum spiritus fontem appellat. Fructus (inquit) spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Quem locum interpretans Augustinus, sic ait: Fructus spiritus ex Paulo, charitas est, ac deinde caetera, tamquam ex isto capite exorta, & religata cōtexuit. Quis enim bene gaudet, qui bonum non diligit, vnde gaudeat? Quis pacem veram nisi cum illo potest habere, quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono opere perseveranter manendo, nisi ferueat diligendo? Quis est benignus, nisi diligit, cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficitur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide, quae per charitatem operatur? Quis vtiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet, vnde turpatur, nisi diligit, vnde honestatur? Merito igitur magister bonus dilectionem sic saepe commendat, tamquam sola, praecipienda sit, sine qua non possunt prodesse caetera bona, & quae non potest haberi sine caeteris bonis, quibus homo efficitur bonus.] O charitas sancta, o arbor speciosa! o super omnes alias spirituales arbores admirabilis! o virtutum omnium pretiosissima! cum hac omnia praestes: verē es praceptorum custodia, origo sanctitatis, omnisque diuinæ legis cumulata perfectio. Verē tu es illud lignum vite in medio caelestis ciuitatis plantatum, afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatē gentium. Duodecim fructus emitit, qui numerus (teste Augustino) vniuersitatem significat, quia instar vniuersarum virtutum fructificas. Per singulos menses felices partus edis, cum per omnē aeternitatem beati ex te gaudium & iustitiæ coronam decerpant. Folia tua sunt salus, & incolumitas gentium, quoniam desideria & preces, quas in beatorū mentibus generas, nobis errorum veniam, & donorum multitudinem impetrant. Verē tu es fons, qui ascendit de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.] Nā vt tibi epithalamium Domini decātemus: Charitas facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus; charitas soluit compeditos; charitas illuminat caecos; charitas erigit elisos; charitas diligit iustos; charitas custodit aduenas, pupillū & viduam suscipiet, & vias peccatorū disperdet.] Verē tu es fluius, qui egredieris de loco voluptatis, de cordibus scilicet sanctorum, ad irrigandam spiritualem paradysum, scilicet sanctā Ecclesiam; qui diuideris in quatuor capita. Nam & prudentiā instillas, vt patienter fratres sustineamus; iustitiam, ne illis iniuriam inferamus; fortitudinem, vt eos adiuuemus; temperantiam, vt exēplo nostro adificemus.

Valeret igitur ad omnia praecipua amplitudo charitatis, quae explicata est ab vno ex amicis Iob, cum eam multiplicem legem nominauit. Atque vt inam (inquit) Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi, vt ostenderet tibi secreta sapientiae, & quod multiplex sit lex eius.] Necessē quidem est, quod interius loquatur Deus, & labia suae lucis nobis aperiat,

Ad Galat. 5.

August. tra. 87. in Iohann.

Aug. Cōment. in Psal. 83.

Genes. 2.

Psal. 145.

Genes. 2.

Iob. 22.

A vt arcanum istud occultissimum, simul & vtilissimum cognoscamus. Arcanum autem est legem eius, legem scilicet charitatis, esse multiplicem, & ad omnia praecipua valere. Lex enim Christi (inquit Gregorius) quid congruentius intelligi, quam charitas potest? quam tunc verē perficimus, cum fraternam onera ex amore toleramus. Sed haec eadem lex multiplex dicitur, quia studiosa sollicitudine charitas ad cuncta virtutum facta dilatur. Ad omnia sanē protenditur facta virtutum, quia velut magistra sapientissima, in nostris cordibus clamitat: Quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias.] Et rursus verbis summae veritatis exhortatur; quae vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Primō consilio charitas a malis nos auocat; secundo verō ad bona nos prouocat: In his autem duobus tota lex pēdet & Propheta.] Haec enim tantum postulat Iſaias. Quiescite agere peruersē, discite benefacere, vt si peccata nostra fuerint sicut coccinum, quasi nix dealbentur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, instar lanae mundae alba reddantur.] Si ergo dilectio declinat a malo, & facit bonum, ad quae duo omnia legis diuinæ & humanae praecipua referuntur, iure optimo multiplex dicitur, quae mirabiliter praceptorum multitudinem ipsa custodit.

Sed hoc singularim explicent verba Beati Gregorij, quae licet prolixiora, non graua bor scribere, vt tanti doctoris sententiis plenius doceamur. Nam cum charitas (inquit) cauet alteri facere, quod nequam vult ab altero ipsa tolerare, sollicita est intentione circumspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi animum deiiciens, exalter: Ne ambitio cogitationem dilaniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet: ne cor luxuria polluat, & subiectum desiderijs per illicita corrumpat: ne ira exasperet, & vsque ad proferendam contumeliam inflammet: ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus aemula, sua se face consumat: ne immoderate linguam loquacitas pertrahat, eamque vsque ad lasciuiam obtruncationis extendat: ne odium malitia excitet, & os vsque ad iaculum maledictionis irriter. Rursum, cum cogitat, vt ea alteri faciat, quae sibi ipsa fieri ab altero expectat, pensat nimirū, vt malis bona, & bonis meliora respondeat: vt erga proceres mansuetudinem longanimitatis exhibeat: vt malitiæ peste languentibus gratiam benignitatis impendat: vt discordes pace vniat, & concordēs ad concupiscentiam verae pacis accingat: Vt indigentibus necessaria tribuat: Vt errantibus viam rectitudinis ostendat: vt afflictos verbo, & compassione mulceat: vt accensos in huius mundi desiderijs increpatione restinguat: vt minas potentium ratiocinatione mitiget: vt oppressorum angustias quanta praeualeat ope, leuet: vt foris resistentibus opponat patientiam: vt intus superbientibus, exhibeat cum patientia disciplinam: vt erga errata subditorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a iustitiæ studio non eneruet: Sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruēdo transcedat: vt ingratos beneficiis ad amorē prouocet: vt gratos quosque ministerijs in amore feruet: vt proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat, vtque cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat: vt sic ea, quae tacet, toleret, nec tamen in animo virus doloris occultet: vt sic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiā a iure rectitudinis excedat: vt cuncta proximis, quae praeualeat impēdat: sed haec impēdendo non tumeat, vt sic in bonis, quae exhibet, tumoris praecipitium pauca, ne tamen ab omni exercitio torpelcat, vt sic quae possidet, tribuat, quatenus quanta sit largitas remun-

Greg. lib. 10. mor. c. 4.

Tobia 4.

Mat. 7.

Iſaia 1.

Greg. 10. mor. c. 4.

E

rantis, attendat; Ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est, inopiam pertimescat; & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. Si hæc omnia præstat fratrum dilectio, rationi consonum est, ut vniuersis virtutibus tamquam finis omnium præferatur, & in eius perfectione maior nostra cura consistat.

Omnes quidem virtutes necessariae sunt, & proficiunt scientibus Deum, & ad eum cupientibus peruenire; sed cum charitas aliarum conatum, & laborem suppleat, maiorem in sui observationem diligentiam requirit. Alij castigando corpori insistant, illis que aspernentur qui aut imbecillitate compulsi, aut occupationibus laboriosis impediti, flagellis, cilicij vsu, assiduisque ieiuniis, ac vigiliis, corpusculum semper macerare non possunt; nos insistant dilectioni, & neminem spernamus. Alij silentium, & eremiticæ sectæ sectentur, hominumque consortium fugiant, & eos irrideant, qui Domini exemplis incitati, bonam noctis partem in sanctis meditationibus, ac diuinis colloquijs consumunt, die verò in proximorum salutem incumbunt; nos amorem sanctum consecemur, & solitudini deditos non irrideamus, sed magna reuerentia suspiciamus. Alij assiduis distentionibus occupentur, & propriæ perfectionis obliui, indiscrète totos dies in hominum (ut ipsi putant) salutem impendant, vnitatem religionis continuis obmurmurationibus lacerent, suisque fratribus detrahant, qui proprias vires metientes, non se ipsos effundunt, sed prudenter, iam proximis, iam propriæ mentis profectui insistant; nos verò amore occupemur, & murmuratores oratione iuuenimus, & neque illis, neque alicui detrahimus. Cum ergo fraternæ dilectio sit omnium mandatorum custodia, bonarum actionum compendium, & vniuersarum virtutum finis, ac planè simul cum dilectione Dei spiritualis vitæ perfectio; merito Christus eam suam vocat mandatum, dicens: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Iure optimo hanc legem in manu sua tenere gloriatur, ut scriptum est in Deuteronomio: Et in dextera eius ignea lux.] Non tantum habet Christus hanc legem in corde, fratres suos, hoc est, nos omnes reuerentiè diligens, non tantum in ore, verbis & doctrina dilectionem edocens: sed etiam in dextera operibus exhibens. Ut non decipiamus nos ipsos, existimantes corda esse igne charitatis accensa, si verba sunt detractionis plena, & opera felle indignationis referta. Et ut diligamus non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.

Ioan. 15.

Deut. 33.

1. Ioan. 3.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quòd omnibus animæ morbis medeatur.

CAP. XXXI.

ADhuc alias causas, ob quas Christus Saluator noster hanc perfectionis partem suam mandatum appellauit, diligenter inquiramus, quæ non parum huius charitatis, quam tractamus, excellentiam patefaciunt, eamque ad ipsam perfectionis naturam pertinere, euidenter ostendunt. Si enim perfectio non solum maximas, sed minimas etiam mentis ægotationes curat, præceptum eam continens vocetur præ omnibus Christi præceptum, quod solum sufficiens est, quatenus ad omnia opera virtutis instigat, vni-

uerfis nostris morbis mederi, ac vulnera nostra curare. Quodnam peritus medicus suum mandatum præcipuum diceret? Certè illud, quod inter omnia à se proposita, ad ægrotum morbo liberandum efficacissimum iudicaret. Nam si ægrotum cruditate laborantem inuilar, cognita ægritudinis, tum qualitate, tum causa, & variis remedijs, multisque medicamentis in vsu infirmi recensitis, tandem sermonem suum ita concludit. Hoc mando tibi, ut à cibis temperes, & abstinentiam, ac sobrietatem ac cetera custodias, sine qua, alijs etiam medicamentis adhibitis, haud quaquam salutem concupiam, assequeris. Sic omnino Christus celestis medicus fecit, qui hominem è cælis curaturus aduenerat. Vidit hominem cruditate laborantem (nam in conuiuio paradisi, quod veterinosus serpens illi parauerat, propriæ excellentiæ desiderio fuerat faciat, & proprii amoris concupiscentia repletus) & multa adhibuit medicamenta, quæ huic ægritudini mederentur, & eam paulatim, & quasi per partes curarent. Ad eius quippe curationem tot lata sunt, & tam salubria mandata. Non mæchaberis, non furtum facies, non concupisces res proximi tui, nec desiderabis vxorè eius, & reliqua huiusmodi. Sed istis mandatis tamquam medicaminibus saluberrimis adhibitis, tandè sapiens medicus & vera sapientia Patris, postremum, ac omnium efficacissimùm, & finem aliorum intulit, dicens: Hoc maxime inter alia mandata sit præceptum meum, o homines amoris inordinati morbo impediti, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dilectio enim tamquam perfecta animæ salus, & quæ virtute omnium aliorum medicamentorum efficacitatem continet, velut à principio curatione orditur, & radices euellit vestròrum peccatorum.

Genes. 3.

Deut. 5.

Hæc fraternæ dilectionis medicina efficax est, ut singuli homines generis humani membra curentur, & eam, vnde exciderant, spirituales vitam, ac salutem recuperent. Membri namque alienius mala ferè omnia, ad hæc quæ subicimus, possunt facile reuocari. Aut enim mortuū est, aut noxio aliquo humore infirmum, ac imbecillum est, aut plaga & vulnere aliquo affectum est, aut ab alijs membris discissum, & separatum est; aut tandem ab actione sibi & corpori necessaria, aut vtili impeditum est. His omnibus malis fraternæ charitas optime medetur, & nos ad vitam, ac salutem mirabiliter transfert. Nam cordi nostro tamquam salubre medicamentum applicita, nos mouet; ut noxios humores peccatorum, quæ nos ipsos, primos vtique & propinquissimos fratres infecerant (nullus enim tam proximus, ac frater, quam quisque sibi ipsi) per veram ac luctuosam compunctionem expellamus, & ad spirituales vitam redeamus. Quare Ioannes Apostolus ex dilectione fraternæ sapienter vitam spiritus infert. Nos scimus (inquit) quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.] Ac si diceret: Manifestè cognoscimus diuinam virtute, nos fraternæ charitatis beneficio à morte peccati ad vitæ gratiæ fuisse translatos, quæ charitas nexus est nos Deo vitæ nostræ coniungens, & proximis tamquam eiusdem corporis membris deuiciens. Nemo interroget hominem (ait Augustinus) redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenit charitatem fraternam, securus sit, quia transit de morte ad vitam.] An non mors animæ separatio est à Deo? & vita animæ vnio est cum Deo? Sed hæc vnio ex vnione ad fratres dignoscitur, & quando hæc verior est, & (vt ita dicam) intimior, tanto maior est vnitas inter Deum & nos, & tanto maior est, & inseparabilior vita spiritualis, qua viuimus. Circulum fingite mundum esse, (ait Beatus Dorotheus) centrum autem circuli Deum, lineas autem

1. Ioan. 3.

Aug. tra. 5. m. 106.

Dorothe. doct. 6.